

alienus, modò biliosus & melancholicus, modò acris acidus ac falsus juxta *Ballon. l. 1. conf. 56.* saniosus & sanguinis ichorem repræsentans, plerumque tamen pituitosus, albus, crudus & aquosus, quem cum ptisanæ cremore comparat *Castro*, qui vel ex universo corpore, in quo cumulatur & superfluit, vel à parte quâdam principali ad uterum tanquam ad partem debiliorem & quasi sentinam defertur, èque cavernoso pudendo effluit: & ideò mulieres non tantùm ad aphrodisiam voluptatem reduntur ineptæ & languidæ, sed sæpè viro, qui cum tali morbosâ muliere carnali se copulat ligamine, periculum infectionis inferunt. A sanguine mutato in gravidis aut quibus menstrua suppressa, excitari talem fluxum *Forest. l. 28. obs. 20. & Rondelet. meth. cur. c. 60.* notant. Quendam fluorem ab humoribus fieri, alium ab ichoribus vult *Albert. Botonn. c. 57. de morb. mul.*

Tales autem humores duplicem agnoscunt patriam, locum videlicet ad quem transmittuntur, & in quo colliguntur, licet non semper in eo generentur, qui Uterus; & eum, à quo dimanant, qui locus membrum sive pars mandans vocatur; estquè vel universum corpus, ex quo in singulas partes deponi potest multigenus humor; vel sunt certæ quædam partes, ex quibus in uterum descendere possunt: Ille verò pars recipiens nominatur, quia debilior, & ad recipiendum idoneus est, quodam tamen robore etiam præditus.

Ductus per quos mittuntur, veteribus fuerunt venæ; verùm inventâ ab *Harveo* circulatione, præcipuè arteriæ constituuntur

Pars mandans & recipiens quando conspirant, affectum præsentem arguunt.

In parte *πονηχῆ* locum invenit *ᾠσις*, pulsio, expulsio, quæ